

ut latera in Triangulis Planis, quædam aut ipsæ sint Circulares, ut latera Triangulorum Sphæricorum, aut certè à segmentis Circularibus mensurentur, quales sunt anguli utriusq; Trianguli : coacti sunt Artifices circumspicere, quo pacto aliqua saltem ratione rectum cum curvo comparent, ut inde tanquam ex promptuario quodam omnes omnium Triangulorum depromi possint mensurationes.

Canon Triangulorum alius est Veterum, alius Nostri seculi.

Canon Veterum ab Hipparchi temporibus ad nostra tempora usq;, annis quasi 1750. & constructionis & usus tractationisq; ratione singulis seculis variavit.

Recensuit eas Canonis variationes ante 30. annos in præfatione ad Lectorem L. Valentinus Otto Operis Palatini Autor verbis, quæ iterum in Lectorum gratiam huc conjiciam, sequentibus : *Etsi diu multumq; in excolendâ & illustrandâ hac doctrinâ desudarint Mathematici, tamen quod alijs artibus accidit, ut nulla simul inventa & absoluta sit : idem etiam huic generi doctrinæ evenit, ut priorum inventis semper aliquid addiderint posteriores. De Triangulis etsi quidem multa in Euclidis Elementis exstent, nihil tamen habent, quod hic requiritur, quomodo ex lateribus anguli, & vicissim ex angulis latera cognosci possint. Hipparchus, Theone teste, subtensarum in Circulo Rectarum Doctrinam 12. libris tractavit. Huic Menelaus Romanus, qui & Mileus nonnullis dicitur, successit. Ex hoc in opus suum magnum quibusdam assumtis miro artificio mirâq; brevitate tantum hujus doctrinæ in primo libro sui operis complexus est Ptolemæus, quantum sibi satis fore vidit insequentibus libris, positaq; ea quæ ex centro partium 60. Canonem Rectarum in Circulo ad partium Semisses condidit. Quem Copernicus nostri seculi miraculum imitatus est ; ut enim ex Menelao ad institutum suum concinnavit necessaria Ptolemæus, ita simili prorsus & artificio & brevitate Copernicus ex Ptolemæo*

lemæo